



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Handleitung Zu leichterem Gebrauch Der Geist- und  
Sittlichen Unterrichten In Ewigen Wahrheiten**

**Calino, Cesare**

**Augspurg ; Graez, 1744**

**VD18 80280064**

In Festo S. Georgii Martyris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49389](#)

IN FESTO  
S. GEORGII MARTYRIS.

1.

*Sicut palma non potest ferre fructum à se-  
metipso, nisi manferit in vite; sic nec  
vos, nisi in me manferitis.* Jo-  
ann. 15.

Omnis sufficientia nostra, omnis fortitudo & robur à Deo est. Nihil prodest ad veram beatitudinem celeberrimorum Heroum fortitudo, Hannibal, Alexandri, Miltiadis &c. Inutilis est omnis fortitudo, quæ in corporis viribus, virtute armorum, aut divitiarum reponit robur suum. Cum S. Georgio discamus in solo DEO confidere, ut vanam illam fortitudinem discamus contemnere. *Mense IX.*

*Disc. 245. pag. I.*

2.

*Sine me nihil potestis facere.* Joan. 15.

Evidem in templis S. Georgium equitan tem, galea, thorace, lanceâ armatum vide mus: verum non in his ille armis fortitudinem posuit, nec in robore corporis, aut animi generositate, sed in divina gratia, sciens, sine hac nihil se posse facere: atque ita confundit eos, qui se fortes existimant agendo fortia. Non enim, qui agit fortia, fortis est vocandus,

dus , si ea agat ex ignorantia , ex passione ,  
cum offensa DEI . Mense IX. Disc. 246. pag.  
17.

3.

*Sine me nihil potestis facere. Joan. 15.*

Magnanimus profectò fuit S. Georgius in defensione Ecclesiæ contra Tyrannidem ( illam sub Virginis , hanc sub draconis imagine intellegimus ) & in tolerantia gravissimorum cruciatum . Verùm nihil huc aut perparum contulerunt arma , vel corporis robur , sed sola gratia Dei , in qua collocans fiduciam suam securus occurrit hostibus : suaviter equitat , quem gratia Dei portat . Hæc sola nobis certam fiduciam & securitatem ad exercendam magnanimitatem præstat . Mense IX. Disc. 257.  
pag. 211.

4.

*Si quis in me non manserit , mittetur fo-  
ras. Joan. 15.*

Quis est ille , qui non manet in Christo tanquam vite , nisi palmes , qui purgationem ferre non meretur , id est , qui cum Christo injurias & adversa patienter ferre recusat ? Ut in Christo maneamus , servemus patientiam . Nam impatientia multis nos peccatis onerat , multis meritis spoliat , bonis etiam temporalibus nocet . Quàm igitur melius est , imitari SS. Martyrum patientiam ! Mense VI. Disc. 167. pag. 244.